

Epistola Doctoris Johannis Pistorij Medici ad D. D. D. 1588.
Fingerum cum analysi Anasceustica D. Davidis Parei. 911

Nesciebam profecto, Vir doctissime. et Amice rarissime,
ignotam Tibi esse religionem meam, quam, quod ego sciam,
dissimulari nunquam. Itaque, quia video, quod explicari à me
cupias, libenter tibi gratificor: factum ante hoc tempus, si
interrogasses. Quod cum publicè profitear, id cur te celarem,
Amicum singularem meum?

Et igitur credo, tum omnes Apostolici symboli articulos,
tum illum esse verum quo credimus, **UNAM SANCTAM CA-**
THOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM. In eo tota
religio mea, que nunc, ut audio, objurgatur ab omnibus, con-
sistit, de hoc solo comparata mihi cum ceteris est con-
tatis. a. Quæro enim veram Ecclesiam, id est, talem, qua
una semper, Catholica semper, Apostolica semper fuerit.
Et cur quæram, multas maximas profecto habeo causas: ni-
si fortassis salutem animæ consequi non est maximum.
b. Scis n. extra Ecclesiam non esse salutem: scis Ecclesiam
esse firmamentum et columnam veritatis: scis neminem
habere Patrem in coelo, qui non habeat c. matrem Ecclesi-
am in terra. Itaque, ut salvus sim, ut in columna veritatis con-
sistam, ut Deum habeam in coelo Patrem: quæro Ecclesiam:
neque sic quæro, ut à quovis oblata statim recipiam, sed ut
talis sit, que semper una et sancta et catholica fuerit. d. à
Christo instituta, ab Apostolis exulta, et deinde per omnes
ætates e. visibiliter perpetua. Res n. magna est et digna
vehementi inquisitione. Cui cum Ecclesia ignoratio sit
cum animæ summo conjuncta, incommodo.

Itaque sic mecum cogito: Quae Ecclesia non una sit, non catho-
lica, vel ut dicam brevius, quae Ecclesia non sit f. catholica,
eam Ecclesiam non esse veram. Nonino autem f. catholica
quae per omnes provincias sparsa semper etiam ante nos
fuit. Deinde sic progredior. Ecclesias novas, quae isto modo
non sunt catholicae, q. non videri potest veras esse Eccle-
sias. Nam si nova Ecclesia ante nos existerunt, dicat ali-
quis ubi fuerint: h. nomines ex tota antiquitate post Apo-
stolorum tempora Ecclesiam unam in mundo, quae iam
nostris conserperit. Si nulla nominari potest, ne quidem
erit ulla. Sed profecto nulla fuit, de qua constet, nisi for-
te Ecclesia contra vaticinia Prophetica, contra Christi
Salvatoris predictionem, scilicet post Apostolos supposita
vel extracta fuit, ut vel non esset, vel ita ut Apostolorum
aetate videri non potuerit. Vtram dicas: quanquam utrumque
falsum sit, tamen sequetur i. Ecclesiam, in qua sancti
Patres vixerunt, in qua Martyres vitam pro Evangelio
profuderunt, in qua Christiana religio floruit, non fuisse
veram Ecclesiam: aut si illa fuit, nostras veras non
esse: pugnant enim ex diametro.

ii. Dices, quod à multis dicitur, nostras veras esse, quod cum
Apostolicis scriptis consentiant. Sed vide, quid dicas. Nam si
nostra cum Apostolorum doctrinā congruant: et nulla fuit
post Apostolos usq. ad Lutherum, annis penè 1500 conser-
uata nostris Ecclesia, nulla igitur isto longissimo tempo-
re Ecclesia cum Apostolis consensit: nulla igitur toto illo tem-
pore fuit vera Ecclesia l. Aut si isto intermedio spatio
fuit ulla cum nostris consentiens, nominetur: si nomi-
nari ^{non} potest, ne quidem sanctorum Patrum Ecclesia, Ecclesia
fuit. Ille si Ecclesia non fuerant, quae igitur fuerunt?

Aut si iste fuerunt, in quomodo nostra esse possunt? Illis in reli-
gione, ceremonias et rebz penè omnibz dissimilime? Aut igitur
ille Apostolica non fuerunt? Aut non perfecta Apostolica
fuerunt?

Quid tandem dices, ni Dilfingere, Amice charissime, in. An
repeles, nostras tibi videri ad normam Apostolica Scriptura
conformatas? sed quid inde efficies? Nam idem Calvinus,
Schwenckfeldius et coeteris non videtur. Itaqz tuum videri
nihil concludet. Aut, si ea Apostolica Ecclesia est, que con-
sentire cuiqz videtur, quot erunt de religione, opiniones,
tot erunt vera Ecclesia. Singuli n. ex infinito principio.
Quod cuiqz videtur Scriptura consentaneam: et religiones
et Ecclesias constituunt.

o. si dices: non videri tibi, sed esse tuas Ecclesias in Apostolicis
scriptis fundatas, rursz ego objiciam: Ego sanctorum Pa-
trum et 1500. annorum Ecclesia non fuit Apostolorum libri
fundata et confirmata Ecclesia, quod diffidet à tuis. Nam
priorem Ecclesiam et tuam non dices esse unam: aut si dices
esse unam, facile ex omnibz Ecclesia scriptoribz, qui Ecle-
sia sua religionem et ceremonias descripserunt, convincam,
unam non esse. Diversa igitur sunt, ut dixi jam sepe. Itaqz
sequitur quod scripti.

Verum quidem est, nullam Ecclesiam veram esse, que pugnet
cum Apostolorum doctrina. I. sed agz verum est, semper
fuisse Ecclesiam: q atqz hoc quam illud notius. Non n. est,
private interpretationis Scriptura. Ecclesia vero habet no-
tas publicas, quibz etiam à püero cognosci potest, nempe
si vera sit et semper fuerit. X. sic igitur sentio: de qua-
cunqz Ecclesia affirmari potest esse Catholicam et fuisse
semper, eam esse veram Ecclesiam. Talem autem mihi
jam toto biennio videri Patrum Ecclesiam: non videri
nostras. Meo igrz iudicio Patrum Ecclesiam esse veram: nostras

non esse. In eo adhuc persisto, non quidem obstinatè, sed ut a te,
ab omnibus doceri cupiam, et cedere, si vincar.

Atque utinam sit aliquis, qui perpetuam Lutherana Ecclesia docere
possit eo, quo dixi, modo: majori certè beneficio me afficere non possit
sed metuo nullum esse. Vidi omnia, quae Lutherus, quae Heerbrechtus, quae
coeteri scripserunt, sed ista me non movent hactenus. Tu si quid poteris,
quæro contende nervos tuos, ut id quod quaero, apud te inveniam. Pro
Christum cum Ecclesia sponsam cum sponsa: et talem sponsam, quae
nunquam facta sit vidua, cujus sponsa nunquam vel conspecta non
sit, vel prorsus interierit. t. ostende hinc Ecclesia perpetuum cum
Christo Salvatore matrimonium: ostende illam esse, quae ante an-
nos mille fuit: ne dua sint unius Christi sponsa.

Altera jam non possum, Amice charissime, propter occupationes
plurimas. u. Illa si Papistica fuit, sum Papista paratè ad oras me
illis conjungendam, ut sim in vera Ecclesia.

x. Et certe Romana Pontificia Ecclesia ista habet omnia, quae
in S. Patrum Ecclesia fuerunt. Hoc in timore Dei, charissime
Bilfingerè, perpende: excludere ex animo affectus, et partes, quibus
infectus es. Roga Deum in filio unico Salvatore totius mundi, ut ex lege
sua animas nostras convertat, et per fidele testimonium suam
praestet nobis parvulis sapientiam, qui in dono eius, quae est Ec-
clesia, et in corpore Filij tanquam fideles administrari et vitæ
membra carissimè vitam nostram consummamus et bonam mili-
tiam certantes coronemur per sanguinem filij eius. Hoc
de Cardinalitia dignitate, de promotione ad Coloniensem re-
sponde omnibus esse impudentissima mendacia: provocare
me ad tribunal Christi, si hæc in re quicquam, aliud, quam
anima mea salutem spectem: si inde illum honorem vel qui-
lentiam ambiam, si non sincerè quaeram Ecclesiam, ut pro
inimicentia sua futuræ totius mundi iudex me condemnet.
Hæc dies, et dies asseveranter.

Quod superest vale Optime Domine, et Amice; et de his cogita
cum veniam, atque domum interim meam cura, quaeso, ut fecisti
hactenus. Leatius me gratum esse. Festinanter 12. Januarij Anno 1588.
P. Revis. Illustrissimus

140
921

Brevis Analysis Ἐρασμευατικῆς Ἐπιστολῆς Ἰωάννου
Πιστοριῆ προεξουθενῆς.

Quæro n. veram Ecclesiam | Te miserum, qui tam diu Eccle-
siam ignorasti: An igitur extra Ecclesiam natus est Pistorius?
vel an ea Ecclesia, quæ eum baptizavit, non credidit articu-
los fidei? Quomodo autem demum quæris veram Ecclesiam,
si omnes articulos fidei et sanctam Ecclesiam credis verò? Verène
igitur aliqui omnes articulos fidei credunt, qui tamen veram
Ecclesiam non credunt, sed ignorant et palpitanter in tenebris
eam demum quærunt? An non vera fides in ipsa sola
Ecclesia est? Joh: X. 14. Ego agnoscor à meis. scriptum quærit
Pistorius.

scis n. extra Ecclesiam: | Hæc Delusio de verâ Ecclesia rectè
a piè dicuntur: Sed Pistorius in hypothesi hæc intelligit de
Romanâ κερκομένης.

Materem Ecclesiam in terra: | Vera Ecclesia est sponsa Christi,
audiens ac amplectens vocem sponsi sui: quæ verò hæc non
audit, ac proficitur, non esse sponsam Christi, sed meretrici-
lam Anti-Christi, Ecclesia titulo et alienis exuvias protervi-
entem. Caveat ergo Pistorius, ne illi sincerâ simplicitate
spreta, hujus amores ambiat, quærat et inveniat. Et frustra
sponsam Christi quærunt, qui à sponso Christi deficiunt: neq;
habent Patrem in coelo, qui negant Evangelium filii in terrâ:
Ita igitur Pistorio quærenda est mater Ecclesia in terra, ne a-
mittat et Patrem et Filium in coelo Joh. III. 29. Qui habet sponsam
sponsæ est. Amicus autem sponsi, qui stat et audit, cum gaudii
gaudet propter vocem sponsi; illum oportet crescere, me verò mi-
nui.

À Christo instituta: | Ecclesia in Paradiso coepit, à deo ipso instituta
et propagata

et propagata per spiritum ac verbum suum, ministerio
sacerdotum ac Prophetarum usq; ad Christum: qui novo mini-
sterio Apostolorum, Evangelistarum etc. instituto, per vocem Evan-
gelii novam Ecclesiam ex Judaeis et Gentibus sibi collegit, et haec
univit cum vetere illa, ex utraq; unam catholicam Ecclesiam
constituens Eph. 11. 17. ut ipse totius Ecclesiae Servator, Caput et
Fundamentum Eph. 11. 21. Abraham vero omnium fidelium
Pater esset. Rom. 4. 11.

e. Visibiliter: Alias illustrius alias obscurius et obscurissimè
sub regno Anti-Christi, sub quo praesens quidem et tecta, sed
sepulta est. Nec Deus hodie magis ad visibilem perpetua-
tionem Ecclesiae suae est alligatus, quam olim tempore Noe
aut Eliae: Immo sub adventum Filii Dei erit perpetua
et visibilis obscurissima. Luc. XVIII. 8.

f. Catholica: Catholica dicitur Ecclesia ratione temporum, lo-
corum et hominum. Temporum quia ab initio ad finem
Deus Ecclesiam servat. Locorum: non quia per omnes
Provincias Hierarchia Ecclesiastica sparsa est: Talis n. Eccle-
sia neq; unquam fuit in mundo, neq; est hodie ne quidem
ipsa Romana Ecclesia: sed quia nulli provinciae aut regi-
oni aut civitati alligata est, sed ad omnes regiones aequo jure
pertinet atq; etiam dilatatur pro Dei Evdostia, qui alios
quidem ad Ecclesiam suam per vocem Evangelii misericorditer
vocat: alios rursus propter ingratitude gratia et verbo
suo justè privat et ex Ecclesia ejicit, ut regiones orientales
exemplo suo doceat. Nec tamen ita ejicit, quin saepe ibidem
etiam 7000. electorum habeat, ubi nulla Ecclesia forma
externa ab hominibus conspicitur. Hominum deniq; ratione
catholica est, quia non soli Judaei, sed tam Judaei quam gen-
tes: nec soli

nec soli Episcopi et Clerici sed omnes homines Christum
 profitentes et invocantes, nullo nationis, conditionis aut sexus
 discrimine habito, ad eam pertinent. Definitio igitur catho-
 lica Ecclesia partim est manca, partim sophistica. Manca
 quia omittit tertiam respectum K&D&S. Sophistica: quia
 illud, sparsam esse, et semper ante nos fuisse ambigue dicitur.
 Potest n. de reali existentia Ecclesia et propagatione ex quibusvis
 provinciis collecta intelligi, sive magnam, sive parvam ep-
 iscopalem speciem habuerit: et sic verum est. Potest etiam
 de externa tantum hierarchia Ecclesia, ut loquitur, intelligi,
 ut revera intelligit: et sic falsum est: tum, quia neq. Aposto-
 lica, neq. Pontificia Ecclesia unquam ita sponsa fuit: tum,
 quia externa hierarchia visibilis non est de essentia Ecclesia.
Non videri potest veras esse Ecclesias | Hec est Propositio

prima, quam duobus argumentis confirmat.
 Nova Ecclesia non sunt vera. Intelligit autem per novas
 Ecclesias nostras: quas novas esse concedimus, si earum sepa-
 rationem a Papatu et regurgitationem doctrine a traditio-
 nibus humanis: negamus, si substantiam doctrinae et ministerij
 seu totius professionis spectes. Sicut et Luna dicitur nova,
 Quibus, post conjunctionem: non nova, sed vetus orbis.
 Argum: 1. Ecclesia non catholica non est vera. Nova Eccle-
 siae non sunt catholicae Ergo. Minorem, qua falsa est, sic
 probat ex definitione: catholica est, qua per omnes provin-
 cias sparsa semper ante nos fuit. Nostra non semper ante
 nos fuerunt sparsa per omnes provincias. Ergo non catholica.
Nominet ex tota antiquitate: Probatio Minoris, quod ante
 nos non fuerint. Alteram 2. membrum, sparsa in omnes
 provincias non probat; Enthymema tale est. Nulla potest
 ex tota antiquitate nominari post tempora Apostolorum,

per cur non etiam tempore Apostolorum? hoc enim satis est
cum nostris consentiens. Ergo nulla fuit.

Consequentia non valet à negatione apparentis ad negatio-
nem rei. Habet n. hæc consequentia fallaciam accidentis: quod
apparet esse vitiosam in simili collatione: Tempore Elie
et Nohe nulla potuit nominari in toto orbe Ecclesia. Nam
omnis caro se etc. Ergo nulla fuit. Sic tempore Christi nulla
preter Pharisæicam. Ergo nulla fuit. Deinde negatur ante
cedens, quod probat ipse syllogismo disiunctivo: Aut nulla fuit
cum nostris consentiens post tempora Apostolorum, aut
est invisibilis, aut fuit supposititia Ergo nulla.

Resp. 1. Negatur disiunctiva insufficientis. Nam visibilis fuit
ipsa Apostolica, et post tempora Apostolorum, quandiu man-
sit incorrupta doctrina 2. Dany posteriorem partem Minore-
ris, negans priorem. Nam Ecclesia electorum perpetuo invisibilis
fuit, latens in externo coetu Ecclesia, nomen aliq.
verè, ut tempore Moysi, Josue, Davidis, Josia etc. Apostolo-
rum, Martyrum, Patrum: aliq. falso ut tempore Elie, Christi
et posteriorum Pontificum sustinente.

i Ecclesiam, in qua | secundum: Ecclesia ex diametro pugnantem
cum Ecclesia, in qua sancti Patres vixerunt et. non sunt vera.
Nostra tales sunt. Hæc Minor falsa est.

ii Dicit quod | Objectio contra Minorem. Ecclesia consentientem
in Apostolicis scripturis non pugnat ex diametro: ideoq. sunt
vera Ecclesia. Nostra consentiunt, et non pugnant, ideoq. sunt
vera. Pistorius negat Minorem, et probat non consentire
ab absurdo: si consentiant, nulla fuit usq. ad Lutherum Ecclesia,
quia nulla cum nostra consentiens: quæ autem in uno
fertis non consentiunt, nec inter se consentiunt; negatis
nullam cum nostris consentire.

I. aut si isto

1. Aut si isto intermedio spatium fuit. Probat nullam eam nostris de Ho 1588.

consensisse. Nulla potest nominari. Ergo nulla fuit.

Resp: est fallacia accidentis, ut supra.

Instantia: Non potest probari. Resp: Negatur. Dilemmata captiosa idonea sunt sophistica: resolvantur in categoricum syllogismum, in quo hanc esse sententiam certum est.

Am quibus Ecclesiis nulla Ecclesia consentanea Apostolicis scriptis consentit, illa ipse etiam non consentiunt. Am nostris Ecclesiis nulla Ecclesia usque ad Lutherum consentanea scriptis Apostolicis consentit. Ergo ipse etiam non consentiunt. Minor falsa est: quod probat.

Quomodo nostra esse possunt. Probatio minoris prima haec est, altera continetur supra tit. 1. Ecclesia, quibus nostra sunt, in religione, ceremoniis et rebus penè omnibus dissimilima, eam nostris non consentiunt. At omnibus Ecclesiis usque ad Lutherum nostra sunt dissimilima, Ergo nullae consentiunt. Si n. simpliciter dicat Pistoris esse dissimilimas, Minorem ut falsissimam negamus.

Resp: Fallacia à dicto secundum quid. Major n. loquitur de dissimilimis simpliciter, et in iis rebus, in quibus consistit Ecclesia, nempe in doctrina fidei et cultus divini Evangelii à Christo traditi: et ceremoniis à Christo ipso et Apostolis institutis, usque necessariis. Minor autem tantum de dissimilimis secundum quid, hoc est, in ceremoniis et observationibus adia-phorae vel etiam superstitiosis: in quibus saltem, nostras esse dissimiles propter dissimiles temporum et locorum circumstantias, salva unitate Ecclesiae in partibus et notis principalibus. Si n. simpliciter dicat Pistoris esse dissimilimas, Minorem ut falsissimam negamus. Quod si n. haec dissimilitudo unitatem Ecclesiae tollit, efficitur neque Pontificiam Romanam, neque Patram Ecclesiam fuisse Christi et Apostolicam Ecclesiam.

Ratio: quia, ut de doctrina faciam in ceremoniis et rebus penè omnibus dissimilima sunt primitiva Apostolica Ecclesia.

ceremonias n. traditiones & nugas omnes non fuisse in Ecclē-
siā Apostolicā, evincit historia Pontificiā & conciliarī,
quō et remittimus Pistorium, ut inde discat, quā nuga, quo tem-
pore, et à quibz Pontificibz excogitata fuerint, et in Ecclesiam
irrepperint. Si canones Apostolicos objicit: nego Apostolicos esse.
unde probabit? Ego probabo facile, non esse: quia nugas tra-
dunt Apostolicis Ecclesijs ignotas. Probo: quia ipsi Pontificij
non consentiunt de illis, aliqui n. recipiunt tantum 76. alii
84. alii 85. Probavit vi. Synodus. sed hanc cum suo decreto
reprobavit Sylvester. vide quid disputet hic Bellarming. Et ap-
pello conscientiam tuam, an Apostolicum quid habeat.
Canon. 3. 4. 7. 10. 11. 13. 14. 16. Transeat. Non enim quid mi-
hi & Pistorio videatur consentaneum, sed quid revera spiritui
sancto attendendum. Rursus, inquam, sequitur, vel Christi et
Apostolorum Ecclesiam non esse veram, vel Pontificiam non
esse, propter dissimilitudinem. At illa vera, hæc igitur falsa.
n. An repetes, nostra | Occupatio amplificatoria ad rem nihil
faciens.
e. Si dices, non tibi videri | Occupatio objectionis; Ecclesia fundata
in Apostolicis simpliciter sunt vera. Nostra sunt fundata.
Ergo. Pistorius rursus ab absurdo negat Minorem: sequeretur
priscam Ecclesiam usq. ad Lutherum non fuisse fundatam
in scriptis Apostolicis. Syllogismus: Et quibz Ecclesijs dispen-
tiant Ecclesia fundata in scriptis Apostolicis etc: quō posito
sequitur absurdum, id ipsū absurdum etiam falsum est.
At posito: Ecclesias nostras esse fundatas in scriptis Apostolicis,
sequeretur absurdum, Ecclesiam Patrum annos 1500. non fuisse
fundatam etc. Ergo falsam est. Minoris probatio: Ecclesia
dispentiens ab Ecclesijs fundatis in scriptis Apostolicis non est
fundata etc. quod est absurdum. Nostra Ecclesia ex hypothesi
sunt fundata in scriptis Apostolicis, et ab his discedit Patrum
Ecclesia

143
Ecclesia. Ergo hoc non est fundata etc. quod cum sit absurdum
absurda etiam hypothesis, ex qua primum sequitur. Nostrae esse
fundatas etc.

Resp. Negatur Minor: quod diffideat etc. Minorem probat: Aut
una est, aut dispenbit. At non esse unam, facile ex omnibus.
Ergo diffidet. Resp. negatur rursus Minor, de substantia: licet
non sit una in ceremoniis adiaphoris cum Ecclesia Patrum.

Ad qd verum est / Talis est Pontificia Ecclesia in doctrinam
et ceremoniis. Ergo non est vera.

Atque hoc quam illud notat / Ab initio mundi semper fuit
Ecclesia: At non semper fuit conspicua eius externa hierar-
chia: ut Luna semper est in coelo, At non conspicitur, vel
requiritur tempore Elie et eorum de quibus Heb. 11. 38. nullam
fuisse: quod cum dici non possit, sequitur etiam notam qui-
dem habere Ecclesias sed solis fidelibus cognoscibiles. Nam quod
Ecclesiam fingunt externam politica formam, in mundo semper
conspiciam esse, sicut regnum Gallie vel Hispanie, id neq;
cum definitione Ecclesie congruit, neq; cum eius historiis, neq;
cum Christi predictionibus: quod Filius hominis vix sit in-
venturus fidem etc. neq; cum Apostoli oraculis de magna
apostasia et de Anti-Christo sedente in medio Ecclesie.
sic igitur sentio / Repetit propositionem et argumentum
principale, quod affirmative de Patrum Ecclesia concedit, de
nostris negative non item.

Atq; utinam sit aliquis: / vult doceri perpetuam externam
hierarchiam Lutherana Ecclesia. At ea non est de substan-
tia Ecclesie. Nec. fuit tempore Christi et Apostolorum,
cum nihilominus esset Ecclesia.

ostende tu Ecclesia perpetua / Ecclesia que profitetur veram
et incorruptam Christi doctrinam et recte utitur sacramentis
a Christo institutis: habet perpetuum cum Christo matrimo-
nium et fuit ante 1500. annos. Nostra Ecclesia profitetur
Ergo habet et fuit ante 1500. annos. Non est ergo quod

metuas deas. Unam solam agnoscit Christy ac sponte suam a
seorto Babylonico, quod martyrum amorem propinat. Regibus
mandi, nullo negotio discernet, sicut etiam a vere fidelibus
discernitur.

ii Illa, si Papistica sunt. Non est Papisticum, credere Ecclesiam
catholicam novam esse, sed est Papisticum, Ecclesiam catholicam
alligare sedi Romanae: fingere Romanum Papam esse eius
caput: fingere Ecclesiam esse hierarchiam externam splendore
et pompa regna mundi omnia egredientem: cum Christi Eccle-
sia pauperum: fingere Ecclesiam Christi esse, quae Christi
membra laniat et doctrinam persequitur. Haec ergo si credis,
Papista es, non Christianus. Transibis ergo tunc ad Papistas
non erit ad veram Ecclesiam, sed a vera Ecclesia apostasia
turpis.

x Et certe Romana Pontificia. Frustra dipapum Ecclesiam
Patrum obducit hierarchia. Non n. Patrum, sed Christi et
Apostolorum Ecclesia typus esse debet vera Ecclesia. His ma-
lure praesertim post tempora Constantini etiam Patribus
placuisse externas larvas, ut multa invehent vel ornatis
vel ordinis Ecclesiastici causa, salva libertate Ecclesiae, quae
postea pro necessariis haberi et cumulari infinitis traditionibus
et ritibus magna ex parte ineptis et superstitiosis ad splendor-
em, pompam et quietem comparatis, inoperant. Sed non
queritur, quid aliquis ante nos fecerit, sed qui ante omnes
est, Christus praeceperit et. Deinde nego omnia habere, quia quod
praecipuum est, doctrina puritatem non habet. Habet autem horrendam
idololatriam, quam Ecclesia Christi et Patrum damnavit.

Augustinus Epist. 48. ad Vincentium:
Ecclesia est, quae aliquando obscurata et tanquam obnubilata multi-
tudine scandalorum, aliquando tranquillitate temporis quiescit
et libera apparet: aliquando tribulationum et tentationum
fluctibus operitur atque turbatur. Vide ibidem exempla.

Illustr.